AD SCHOLAS

QUAE IN HAC UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

PER SEMESTRE HIBERNUM

INDE A. D. XVI M. OCTOBRIS A. MDCCCXCVI HABEBUNTUR

INVITANT

RECTOR ET CONCILIUM

INSUNT

IOANNIS AB ARNIM

DE PLATONIS DIALOGIS QUAESTIONES

CHRONOLOGICAE

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS

Si nostrum est, qui philologi vocamur, commilitones humanissimi, opera et labore efficere, ut summorum in omni artium genere virorum quae ex antiquitate ad nos pervenerunt opera ab omnibus intellegi possint, qui ab heroum cultu et consuetudine ipsi sibi humanitatem petere didicerunt, nullus fere exstat inter scriptores graecos, qui studio nostro dignior sit quam Plato. Neque ullam puto aetatem exstitisse quae magis quam nostra Platonis ingenio iuvari posset. Sed quam possidet erudiendorum hominum vim ac potestatem non iis profecto praestabit, qui ex placitorum arida congerie doctrinae eius summam arripere satis habent: iis quantum potest utilis fiet qui dum librorum ipsius lectioni vacant, in intimam eius mentem se insinuaverint. Neque enim ipse omnem rerum veritatem atque sapientiam possidere neque perfectum omnibusque numeris absolutum doctrinae orbem discipulis tradere posse sibi visus est, sed quamdiu vixit a dogmatica arrogantia alienus fuit: τὸ μὲν σοφόν, ὦ Φαῖδρε, καλεῖν ἔμοιγε μέγα εἶναι δοκεῖ καὶ θεῷ μόνῳ πρέπειν· τὸ δὲ ἢ φιλόσοφον ἢ τοιοῦτόν τι μᾶλλόν τε ἂν αὐτῷ ἁρμόττοι καὶ ἐμμελεστέρως ἔχοι. Itaque is demum Platonem intelligit qui cum ipso philosophatur ac dum per spinas disserendi non minus attente quam per laeta fabularum prata ipsum sectatur, ardorem illum ad verum inveniendum animo concipit quo ipse flagrabat. Sed qui hac via qua sola potest ad Platonem intellegendum pervenire studet, non potest non quaerere de ordine temporum quibus singuli dialogi scripti sint. Atque diu est cum viri docti hanc quaestionem moverunt; quae ne nunc quidem ad certum finem et prudentium iudicum consensum perducta est. Neque tamen est, cur de solvenda quaestione desperemus.

Nam cum viri docti, vel ex ipsius Platonis in indaganda veritate progressu, qualem divinare sibi videbantur, vel ex consilio quodam auctoris omnes dialogos quasi uno doctrinae orbe complexi, ordinem quo scripti essent extricantes in diversissimas partes abiissent, praeclare de hac quaestione meritus est Guilelmus Dittenberger qui in Hermae tom. XVI ex sermonis Platonici observatione temporum notas peti posse primus demonstravit. Quae ratio hoc habet quo se praeter ceteras commendet quod simplicior est et ad communem intellectum accommodatior. Nam ubi de consilio singulorum librorum et de ratione inter illos totamque Platonis doctrinam intercedente quaestio mota est, maximae statim e rei difficultate dissensiones oriuntur; de sermonis differentiis, cum semel observatae sunt, non potest inter sanos homines controversia esse.

Nemo dubitat, quin ex sermonis observatione spuria opera a genuinis discerni possint. Nam diversos scriptores sermonis consuetudine inter se differre usu venit. Sed ne eiusdem scriptoris quidem ab adulescentia ad senectutem eadem semper manebit consuetudo. Quodsi exstant libri quos a sene scriptos esse scimus, exstant quos a iuvene, a certi temporis libris profecta observatio incertis poterit lucem afferre.

Nec tamen ea est huius rationis natura, ut hac sola nullis aliis rationibus adhibitis quaestio Platonica quam vocant dirimi possit. Neque ipse Dittenberger hoc sperat. Dicit enim p. 322: Das freilich wird kein Verständiger erwarten, dass es auf diesem Wege möglich sein werde, jedem einzelnen Dialog genau die Stelle, die er in der chronologischen Reihe einnimmt, anzuweisen. Neque omnino haec nova ratio inventa est, ut in veteris illius, quae a rebus et philosophia proficiscitur, vicem succedat, sed ut illam partim corrigat partim confirmet. Nam quae e sermonis consuetudine concluduntur quasi invitis persuadent, tum demum omnes libenter assentientes habitura, cum rerum quoque et philosophiae explicatione munita erunt.

Ipsa igitur ratio Dittenbergeriana non potest reprehendi: quid inde lucri futurum sit quaestioni Platonicae nemo scire potest, antequam multorum labore exculta erit. Nam hoc quoque boni habet via ab illo monstrata quod multi certatim eam ingredi poterunt illiusque vestigia sequi. Cui una observatio non persuasit, ei multarum invicem se tuentium persuadebit copia. Quodsi forte accidit, ut diversae observationes inter se pugnare videantur, non statim tota ratio abicienda est, sed disceptandum, utra ex illis observationibus magis ex artis nostrae legibus facta sit.

Hac enim in re maxima inest difficultas, ut tales sermonis proprietates ad observandum eligantur quae ad finem observationis idoneae sint. Qua in re hoc primum opus est, ut proprietas sermonis a nobis electa quam minime a rerum tractatarum proprietate pendeat: deinde ut quam frequentissime occurrat. Nam quae e rerum tractatarum diversitate pendent nihil faciunt ad sermonis immutati observationem. In parvis vero numeris semper de casu poterit cogitari.

Ex priore postulato sequitur non statim quaerendum esse, quoties aliqua locutio in singulis dialogis occurrat, sed prius quaerendum esse quoties eam usurpandi fuerit occasio. Si in aliquo dialogo nusquam occurrit locutio, cuius in aliis dialogis frequentiam observavimus, quia nusquam ea opus fuit, hoc profecto non probat sermonem scriptoris mutatum esse. Si vero eadem res et notio in his libris hac locutione exprimi solet, in illis illa, vel in his raro hac saepissime illa, in illis contra, tum sermonem mutatum esse iure nostro statuemus. Itaque rectissime vidit Martinus Schanzius in dissertatione illa Hermae tom. XXI inserta, qua Dittenbergeri rationem defendit latiusque prosecutus est, nihil esse ad finem nostrum accommodatius quam ut pugna inter diversas locutiones idem fere significantes describatur. Cuius rei exempla proposuit ὄντως cum τῷ ὄντι pugnans et ἀληθῶς cum ὡς ἀληθῶς.

Eadem illa Schanzii ratione usus ipse de sermone Platonico amplius inquirere statui. Vidi autem nullam fere notionem tam saepe per omnes dialogos Platoni exprimendam fuisse quam assensionem vel affirmationem. Nam ita omnia apud Platonem colloquia instituuntur, ut alter sit ἐρωτῶν, alter ἀποκρινόμενος; illius sit officium probare vel reprobare, hic nihil fere aliud faciat quam assensum suum significet. Patet igitur assensionis formulas non solum frequentissime in omnibus dialogis usurpandas fuisse, sed etiam (quo opus esse antea diximus) a rerum tractatarum proprietate nequaquam pendere. Praeterea aptae sunt ad id quod volumus, quia in re

leviuscula non tam mens scriptoris consilio ac voluntate stilum suum prementis quam caeca quaedam cernitur consuetudo. Accedit quod pugna hic spectatur non duarum sed plus quam centum locutionum. Adiuvit me haud mediocriter in recta via invenienda quod Dittenberger de τί μήν observaverat. Nam cum ex tribus illis particularum coniunctionibus τί μήν, γε μήν, ἀλλὰ μήν, quibus Dittenberger ad definiendum dialogorum ordinem utitur, τί μήν longe utilissimum esse intellexissem, quod est affirmantis et assensionem significantis, sponte mihi se obtulit consilium omnes in omnibus dialogis assensionis formulas pernumerandi. Cum vero in hac scriptione et propter spatii augustias fieri non possit, ut omnes omnium locutionum numeri proponantur, neque e re sit proponere quae ad finem quaestionis Platonicae nihil momenti habent, nunc quidem res tantum gravissimas publici iuris faciam, quae tabulis meis probantur.

Atque per se intelligitur nihil me antiquius habuisse quam ut veram de Phaedri tempore sententiam novis sermonis fulcirem argumentis. Hinc enim quaestionis Platonicae summam pendere omnes clamant. Ac ne ii quidem quibus persuasum est Dittenbergeri et Schanzii disputationibus de Phaedro non primo dialogorum, argumentorum huius sententiae numerum a me augeri moleste ferent. Sed nequaquam ad Phaedrum solum haec mea ratio pertinet. Immo ex aliis quoque chronologiae Platonicae locis tenebras dispellit.

Neglexi omnes dialogos quos spurios esse constat. Ex Apologia Socratis pauca tantum potui adnotare, item ex Timaeo et Legum l. XI quia maximam partem dialogica forma carent, nihil ex Critia et Legum l. V, qui προοίμιον τῶν νόμων continet. In Rei publicae et Legum libris unius cuiusque libri separatim numerum subduxi. Ad eas tantum formulas animum attendi quae sive separatim sive initio orationis positae nil nisi meram affirmationem continerent, eamque ipsis verbis expressam neque cohaerentem cum verbis antecedentibus interrogantis. Seclusi igitur eas affirmationes, quae per repetitionem vel subjecti (e. gr. ἔγωγε) vel praedicati vel obiecti vel totius denique sententiae fiunt.

Habent autem affirmationes a me numeratas Apologia 5, Crito 14, Euthyphro 44, Protagoras 40, Charmides 67, Laches 49, Hippias minor 58, Euthydemus 68, Meno 130, Gorgias 239, Cratylus 176, Phaedo 131, Symposion 27, Lysis 93, Phaedrus 62, Rei publicae lib. I 100, lib. II 70, lib. III 103, lib. IV 95, lib. V 121, lib. VI 74, lib. VII 84, lib. VIII 109, lib. IX 95, lib. X 74, Theaetetus 198, Parmenides 298, Philebus 257, Sophistas 240, Politicus 210, Legum lib. I 56, lib. II 53, lib. III 68, lib. IV 31, lib. VI 28, lib. VII 62, lib. VIII 16, lib. IX 25, lib. X 50, lib. XI 2, lib. XII 20, Timaeus 9. His igitur numeris tamquam fundamento totus ille calculus noster ita superstruetur, ut uniuscuiusque formulae vel formularum generis frequentia quotam partem illorum impleat quaeramus.

Sunt autem genera affirmationum quinque 1) primum quod fit per adverbia quae augendi vim habent (πάνυ, μάλα, σφόδρα, παντάπασιν, ναί, πάντως, παντελῶς, ὑπερφυῶς, κομιδῇ) quae cum particulis plerumque coniunguntur; in hac classe longe frequentissima sunt: ναί, πάνυ γε, πάνυ μὲν οὖν; 2) alterum quod fit per enuntiatum, quo interrogantem vera, veri similia, necessaria, bene, pulchre, recte, dixisse statuitur (velut ἀληθῆ λέγεις, ὀρθῶς λέγεις, ἔστι ταῦτα, οὕτως ἔχει, ἀληθῆ, ἀνάγκη, δῆλον); 3) tertium quod fit per adverbia οὕτως, ὀρθῶς, καλῶς, ὀρθότατα, σαφέστατα, ortum ex altero per ellipsin; nam partim ἔστιν vel ἔχει partim λέγεις supplendum est; 4) quartum quod fit per verba φαίνεσθαι, δοκεῖν

(velut φαίνεται, ἔμοιγε δοκεῖ, ἀληθῆ μοι δοκεῖς λέγειν) οἴεσθαι (velut οἶμαι ἔγωγε), εἰκός, ἔοικεν, quo etiam adverbia ἴσως, τάχ᾽ ἄν, σχεδόν mihi referre liceat; 5) quintum quod fit per interrogationem rhetoricam (velut πῶς δ᾽ οὔ; πῶς γὰρ οὔ; τί μήν; τί δ᾽ οὔ; τί γὰρ οὔ). Haec fere sunt genera affirmationum, non tam ad severam logicam vel grammaticam rationem exacta, quam quae dialogos perlustranti sponte se offerunt.

§ 1. Longe frequentissima sunt ναί, πάνυ γε, πάνυ μὲν οὖν non solum ex primae classis, sed omnibus omnium classium affirmationibus. Sine dubio in cotidiano sermone Atheniensium hae fuerunt usitatissimae. Est autem in hac re statim diversitas dialogorum memorabilis. Nam tres illae affirmationes, si unam omnium summam subduco: A) plus quam dimidiam partem implent totius numeri in Hippia minore (32/58), Euthydemo (35/68), Gorgia (121/239), Menone (71/130), Cratylo (91/176), B) plus quam tertiam, sed minus quam dimidiam in Euthyphrone (21/44), Protagora (16/40), Charmide (27/67), Lachete (19/49), Phaedone (57/131), Convivio (11/27), Lyside 33/93), Rei publicae lib. I (36/100); C) minus quam quartam partem in Phaedro (11/62), Rei publicae lib. II (14/70), III (16/103), IV (22/95), V (25/121), VI (7/74), VII (10/84), VIII (20/109), IX (14/95), Philebo (52/257), Legum lib. II (9/53), III (12/68), IV (6/31), VI (4/28), VII (13/62), VIII (1/16), IX (1/25), X (11/50), XI (0), XII (3/20); D) plus quam quartam, sed minus quam tertiam partem in Rei publicae lib. X (24/74), Theaeteto (58/198), Parmenide (97/298), Sophista (71/240), Politico (54/210), Legum lib. I (16/56).

Ni fallor ex hac dinumeratione satis apparet non frustra rationem a nobis initam esse. Nam quos deinceps scriptos esse scimus Rei publicae et Legum libri sub eadem littera comparent. Coniecerit aliquis dialogos qui sub A inveniuntur, ordini B alicubi inserendos esse, eos qui sub D inveniuntur ordini C; ita affirmationum illorum frequentia bis aucta, bis deminuta esse videretur. Sed hoc nos hariolari aliquis dixerit: Phaedrum vero apparet cum Rei publicae libris inde ab altero facere.

§ 2. Comparabo nunc inter se πάνυ γε et πάνυ μὲν οὖν. Potest autem breviter dici in omnibus dialogis ordinum A et B πάνυ γε saepius inveniri quam πάνυ μὲν οὖν, in omnibus ordinum C et D (excepto Parmenide) πάνυ μὲν οὖν saepius quam πάνυ γε. In enumeratione prior numerus ad πάνυ γε, posterior ad πάνυ μὲν οὖν refertur:

Apol. 3/0, Euthyphro 13/3, Protagoras 3/3, Charmides 16/0, Laches 10/6, Hippias minor 3/0, Euthydemus 21/4, Gorgias 46/8, Meno 27/5, Cratylus 38/15, Convivium 7/1, Phaedo 23/21, Lysis 18/1, Rei publicae lib. I 17/6, Parmenides 28/16, Phaedrus 1/3, Rei publicae lib. II 4/9, III 3/5, IV 2/8, V 6/7, VI 0/5, VII 1/5, VIII 1/10, IX 3/4, X 2/8 (i. e. 22/61), Theaetetus 5/16, Sophistes 10/14, Politicus 7/17, Philebus 9/23, Legum lib. I 2/5, II 1/3, III 0/12, IV 0/5, VI 0/4, VII 1/9, VIII 0/1, IX 0/1, X 0/4, XII 0/2 (i. e, 4/46), Timaeus 2/0.

Hanc quoque observationem patet non favere illorum sententiae, qui Phaedrum primum scriptum esse arbitrantur.

§ 3. παντάπασιν, παντάπασί γε, παντάπασι μὲν οὖν non inveniuntur in Critone, Euthyphrone, Protagora, Charmide, Hippia minore, Euthydemo, Gorgia, Menone, Cratylo, Convivio, Lyside, Legum lib. I, VI, VIII;

inveniuntur in Lachete 1/49, in Phaedone 4/131, in Phaedro 4/62, in Rei publicae lib. I 1/100, I I4/70, III 6/103, IV 7/95, V 8/121, VI 3/74, VII 4/84, VIII 2/109, IX 4/95, X 5/74, in Theaeteto 9/198, Parmenide 8/298, Sophista 13/240, Politico 7/210, Philebo 8/257, Legum lib. II 1/53, III 1/68, IV 2/31, VII 1/62, IX 3/25, X 4/50, XII 2/20, Timaeo 1/9.

Haec quoque observatio differentiam nobis ante oculos ponit duarum aetatum. Apparet Platonem iuvenem ab his formulis abstinuisse, adamasse eas seniorem. Quod quominus statuamus non prohibent Legum libri, in quibus desunt. Nam in Legum libris II, III, VII quae semel invenitur, eandem deesse formulam in libris I, VI, VIII mirum non est. Quattuor autem exempla quae e Phaedro enotavimus ad posteriorem aetatem hunc dialogum relegant.

§ 4. καὶ μάλα, μάλα γε, καὶ μάλα γε, καὶ μάλα δή, μάλα δήπου non inveniuntur in Critone, Protagora, Hippia, Menone, Cratylo, Lachete, Convivio, Lyside, Rei publicae lib. I.

inveniuntur in Euthyphrone 1/44, Charmide 1/67. Euthydemo 3/68, Gorgia 1/239, Rei publicae lib. II 1/70, Phaedone 2/131, Parmenide 2/298, Theaeteto 4/198.

frequentiora sunt in Phaedro 5/62, Rei publicae lib. III 4/103, IV 3/95, V 8/121, VI 9/74, VII 6/84, VIII 10/109, IX 7/95,

rariora rursus sunt in Rei publicae lib. X 2/74, Sophista 9/240, Politico 2/210, Philebo 11/257. In Legibus sexies inveniuntur lib. II (1), III (4), IX (1), desunt in ceteris libris.

Itaque hic quoque Phaedrus cum Rei publicae libris inde a tertio in maiore harum formularum frequentia conspirat. Apparet illas rarissimas esse in prioris aetatis dialogis, frequentes in media, evanescere paulatim in ultima.

§ 5. μάλιστα, μάλιστά γε, μάλιστα δήπου; πολύ γε μάλιστα, πολὺ μὲν οὖν μάλιστα, ὡς οἷόν τε μάλιστα. πάντων μάλιστα, πάντων γε μάλιστα, πάντων γέ που μάλιστα. πάντων μέν οὖν μάλιστα, quo etiam refero παντός γε μᾶλλον

inveniuntur in Apologia 1/5, Euthyphrone 1/44, Protagora 2/40, Charmide 2/67, Hippia minore 4/58, Euthydemo 2/68, Gorgia 4/239, Menone 3/130, Cratylo 2/176, Phaedone 1/131, Convivio 1/27, Phaedro 1/62, Rei publicae libro I 1/100, II 1/70, III 1/103, IV 1/95, V 4/121, VII 2/84, VIII 2/109, Philebo 1/257,

non inveniuntur in Critone, Lachete, Lyside, Theaeteto, Parmenide, Rei publicae lib. VI, IX, X, Sophista, Politico, Legibus.

Itaque in paucis libris desunt qui ante Rem publicam scripti sunt, quod casu factum est in Critone propter parvum affirmationum numerum et in sexto Rei publicae, vix casu in Lachete, Lyside, Parmenide, Theaeteto; quod vero in Rei publicae IX, X, Soph. Polit. Legibus deficiunt ad consuetudinem Platonis seniore aetate immutatam pertinet. Nam etiam formulas quae μάλα continent (cf. sub 4) in iisdem fere libris, a quibus μάλιστα abest rarescere vidimus.

Procedimus ad alterum genus affirmationum, cujus hae sunt formae principales: „ita res se habet“, „verum dicis“, „recte dicis“, „necessarium est“, „manifestum est“.

§ 6. ἀνάγκη. πολλή ἀνάγκη, πᾶσα ἀνάγκη, μεγάλη ἀνάγκη, ἀνάγκη γάρ, καὶ γὰρ ἀνάγκη, ἀνάγκη μὲν οὖν, τοῦτο μὲν ἀνάγκη, καὶ τοῦτο ἀνάγκη, ἀνάγκη καὶ τοῦτο. ἀνάγκη καὶ ταῦτα, πολλή γε (scil. ἀνάγκη), ἀνάγκη ὁμολογεῖν, ἀνάγκη ἐκ τῶν ὡμολογημένων inveniuntur in Critone 1/14, Euthyphrone 2/44, Protagora 3/40, Charmide 4/67, Lachete 1/49, Hippia minore 0/58, Euthydemo 1/68, Gorgia 11/239, Menone 4/130, Cratylo 2/176, Phaedone 9/131, Convivio 1/27, Lyside 7/93, Phaedro 1/62, Rei publicae lib. I 5/100, II 3/70, III 6/103, IV 7/95, V 3/121, VI 5/74, VII 4/84, VIII 6/109, IX 8/95, X 2/74, Theaeteto 12/198, Parmenide 26/298, Sophista 3/240, Politico 0/210, Philebo 6/257, Legum lib. I 0/56, II 1/53, III, IV, VI 0/127, VII 1/16, VIII, IX 0/41, X 3/50, XI, XII 0/22.

Apparet hoc affirmationis genus omnibus aetatibus a Platone usurpatum esse, minus autem frequenter cum Hippiam, Euthydemum, Menonem, Cratylum, Lachetem scriberet, raro etiam in Sophista, Politico, Philebo, Legibus. Phaedo, Lysis, Theaetetus, Parmenides cum Rei publicae libris in frequentia harum affirmationum conspirant. Quod vero in Phaedro semel invenitur: ἀνάγκη μὲν οὖν, praeterea non occurrit nisi in Philebo et Legum lib. VII.

§ 7. δῆλον δή, δῆλα δή, δῆλον ὅτι inveniuntur in Critone 2/14, Gorgia 5/239, Cratylo 2/176, Phaedone 1/131, Phaedro 1/61, Rei publicae lib. III 4/103, IV 2/95, V 1/121, IX 2/95, X 1/74, Theaeteto 1/198, Parmenide 2/298.

δῆλον nude positum in Phaedro 1/62, Rei publicae lib. III 1/103, V 2/121, VI 1/74, VII 1/84, VIII 5/109, IX 3/95, X 1/74, Theaeteto 1/198, Parmenide 1/298, Politico 4/210, Philebo 1/257, Legum lib. III 3/68.

Videtur, cum omnino hae formulae ad mediam maxime aetatem pertineant (desunt enim non solum in Euthyphrone, Protagora, Charmide, Lachete, Hippia, Euthydemo, Menone, sed etiam in Legibus fere deficiunt), δῆλον nude positum serius quam ceterae in Platonis consuetudinem receptum esse. Itaque hac quoque observatione fortasse ad Phaedri tempus definiendum uti possumus. Conspirat enim hic quoque cum Rei publicae libris inde a tertio. Ἀναγκαῖον quoque et εἰκός nude posita ad seriores tantum libros pertinent.

§ 8. a) ἔστιν οὕτως, ἔστι γὰρ οὕτω, οὕτω γὰρ ἔστιν, ἔστι ταῦτα οὕτως, ταῦτα μὲν ἔστιν οὕτως, ἔστιν ὡς λέγεις, ἔστω οὕτως, ἔστω τοῦτο οὕτως, ἔστω ὡς λέγεις, ἔστω δὴ ταύτῃ

b) ἔστιν, ἔστι ταῦτα, ἔστι καὶ ταῦτα, ἔστι δὴ ταῦτα, ἔστι γὰρ οὖν καὶ τοῦτο, ἔστω, ἔστω γὰρ οὖν, ἔστω δὴ ταῦτα

c) ἔχει οὕτως, οὕτως ἔχει, ἔχει ταύτῃ, ἀλλ' οὕτως ἔχει, ἔχει γὰρ οὖν οὕτως, ἔχει γὰρ οὖν δὴ οὕτως, καὶ μάλα- πάνυ μὲν οὖν- και σφόδρα γε- παντάπασιν οὕτως ἔχει παντελῶς μὲν οὖν ἔχει οὕτως, ναὶ οὕτως ἔχει ὡς σὺ λέγεις, πάνυ ἔχει οὕτως ὡς λέγεις, ἀλλ' εὖ ἴσθι τοῦτο οὕτως ἔχον, τάχα δ' ἂν οὕτως ἔχοι.

Ita tria locutionum genera comprehendi posse putavi. Nam differentiae, unde tantus formularum numerus ex principalibus formis ἔστιν οὕτως, ἔστι ταῦτα, ἔχει οὕτως oritur minoris momenti sunt. Neque ulla ex derivatis illis maiorem frequentiam nacta est. Longe frequentissimum est ἔστι ταῦτα. In sequente tabula genera illa litteris a, b, c significo.

Crito b 2/14, Euthyphro b 1/44, Protagoras b 2 c 1/40, Charmides b 2 c 1/67, Laches b 1/49, Hippias minor b 1 c 2/58, Euthydemus b 2 c 2/68, Gorgias a 1 b 11/239, Meno b 7/130, Cratylus a 2 b 12/176, Phaedo a 2 b 5 c 2/131, Lysis b 1/93, Phaedrus a 1/62, Reipublicae lib. I b 1 c 1/100, II b 3 c 1/70, III b 2 c 2/103, IV a 2 b 3/95, V a 1 b 1 c 1/121, VI b 3/74, VII a 1 b 2 c 1/84, VIII a 4 b 1/109, IX c 1/95, X a 1 b 1 c 1/74, Theaetetus a 2 b 3/198, Parmenides a 1/298, Sophistes a 1 b 2/240, Politicus a 1 b 2/210, Philebus b 3/257, Legum lib. I a 1 b 2/56, II a 1 b 2/53, III c 1/68, VI c 1/28, VII a 1/62, X b 1/50.

In hac dinumeratione memorabile est primum quod formulae **a** absunt a septem primis dialogis iidemque **b** saepius habent quam **c**, item in Lyside et tribus primis Reipublicae libris **a** desideratur, deinde quod in ultimis libris cum omnino formulae **a b c** rariores sunt quam antea, tum in plerisque **c** deficit.

§ 9. Comparabo nunc inter se ἀληθῆ et ἀληθῆ λέγεις. Primus numerus significat ἀληθῆ λέγεις, secundus ἀληθῆ, tertius omnes eius dialogi affirmationes.

Crito 1/0/14, Euthyphro 4/0/44, Protagoras 4/1/40, Charmides 2/3/67, Laches 6/1/49, Hippias minor 1/0/58, Euthydemus 3/0/68, Gorgias 5/1/239, Meno 4/0/130, Cratylus 9/0/176, Phaedo 8/1/131, Convivium 6/0/27, Phaedrus 1/0/62, Lysis 3/6/93, Rei publicae lib. I 2/5/100, II 2/2/70, III 0/5/103, IV 0/5(4 ἀληθῆ + 1 ἀληθῆ μέντοι) 95, V 2/3/121, VI 3/0/74, VII 0/5/84, VIII 1/2/109, IX 0/1/95, X 1/2/74 (i. e. 11/25), Theaetetus 2/9/198, Parmenides 2/18/298, Sophistes 2/7/240, Politicus 1/5/210.

Philebus 3/2/257, Legum lib. III 1/1/68, IV 1/0/31, VI 0/1/28, VII 2/1/62, VIII 1/0/16, IX 0/1/25, XII 2/0/20 (i. e. 7/4).

Manifesto hic tres aetates deprehenduntur, quarum prima ἀληθῆ λέγεις frequentius est, altera ἀληθῆ, tertia rursus ἀληθῆ λέγεις. Praeterea occurrunt formulae ab ἀληθῆ λέγεις derivatae: τοῦτο μὲν ἀληθῆ λέγεις in Lachete (1), ναὶ μὰ τὸν Δία καὶ μάλα ἀληθῆ λέγεις in Euthydemo (1), σχεδὸν ἀληθῆ λέγεις in Legum lib. II (1), ἀληθῆ μέντοι λέγεις ibid. lib. IV (1) X (1), ἀληθῆ ταῦτα λέγεις ibid. lib. VIII (1), nihil tale in medii ordinis libris praeter inversionem λέγεις ἀληθῆ in Theaeteto (1), de qua postea dicam.

§ 10. Quodsi casu hoc factum esse putas compara inter se ἀληθέστατα λέγεις et ἀληθέστατα. Prior numerus significat ἀληθέστατα λέγεις, posterior ἀληθέστατα. Omitto dialogos, in quibus neutrum occurrit.

Cratylus 1/0, Laches 1/0, Phaedo 4/0, Convivium 1/0, Rei publicae lib. I 1/0, Phaedrus 2/0.

Rei publicae lib. III 1/5, IV 2/0, V 0/2, VI 1/3, VII 2/2, VIII 0/2, IX 1/1, X 1/4 (i. e. 8/19) Theaetetus 4/4, Parmenides 1/5, Sophistes 2/3, Politicus 2/5, Philebus 6/10.

In Legibus lib. I 1/1, II 2/4, III 4/0, IV 2/1, VII 3/1, IX 0/1, X 3/0, XII 1/0 (i. e. 16/8). Vides eadem ratione et hic et illic consuetudinem mutari.

§ 11. Porro inter se comparo ὀρθῶς λέγεις et ὀρθῶς. Prior numerus significat ὀρθῶς λέγεις posterior ὀρθῶς.

Euthyphro 1/0, Charmides 1/0, Rei publicae lib. I 1/0, Lysis 1/0, Phaedrus 1/0, Theaetetus 3/2.

Parmenides 2/16, Rei publicae lib. II 0/2, III 1/2, IV 1/0, V 2/8, VI 1/5, VII 2/3, VIII 1/1, X 0/2, Sophistes 0/10, Politicus 0/14.

Philebus 2/0, Legum lib. I 3/2, II 0/2, III 1/0, VI 1/0, VII 2/3, VIII 0/4, IX 1/1, X 1/2, XII 0/2 (i. e. 9/16).

ὀρθῶς igitur, quod in primo ordine omnino non occurrit praeter Theaetetum, in quo ὀρθῶς λέγεις praevalet, in altero et tertio ordine (excepto Philebo) multo frequentius est, quam ὀρθῶς λέγεις. Quod etiam manifestius esset si comprehendissem numero ὀρθῶς γε, καὶ ὀρθῶς γε, καὶ ὀρθῶς, πάνυ μὲν οὖν ὀρθῶς, τοῦτο μὲν ὀρθῶς, καὶ ταῦτα ὀρθῶς

§ 12. Similiter res se habet, si καλῶς λέγεις et καλῶς inter se comparas. Numero comprehendi etiam derivatas formulas: ἀλλὰ καλῶς λέγεις, καλῶς δὴ λέγεις, καλῶς γὰρ λέγεις, καὶ καλῶς γε λέγεις, πάνυ καλῶς λέγεις, καλῶς τοῦτό γε λέγεις, καλῶς ταῦτά γε. Posterior numerus καλῶς nude positum significat et καλῶς ταῦτά γε.

Charmides 1/0, Hippias minor 2/0, Convivium 1/0, Parmenides 1/0. Rei publicae lib. I 0/1, III 1/0, IV 2/0, VIII 1/0, IX 1/0, X 1/0, Sophistes 2/2.

Politicus 0/6, Legum lib. III 0/2, VI 0/1, VII 1/0, VIII 0/1, IX 0/2, XII 2/0 (i. e. 3/6).

Addo denique κάλλιστα λέγεις inveniri in Rei publ. lib. II (1), V (2), VII (1), κάλλιστα Legum lib. I, κάλλιστά γε in Philebo (1).

§ 13. In contrariam partem facta est consuetudinis Platonicae immutatio in formulis ὀρθότατα λέγεις, ὀρθότατα (ὀρθότατά γε, ὀρθότατα μὲν οὖν, ὀρθότατα ταῦτά γε), ut ex numeris sequentibus apparet. Posterior numerus significat ὀρθότατα λέγεις.

Phaedrus 2/0, Parmenides 1/0, Rei publicae lib. II 0/1, III 2/0, V 5/0, VI 1/0, VII 1/0, IX 1/0, Sophistes 5/0, Politicus 10/0.

Philebus 6/6, Legum lib. I 0/2, II 1/1, III 2/1, IV 0/1, VI 0/2, VII 0/1, VIII 0/2, X 0/2 (i. e. 3/12).

Collegi haec omnia quia propter similitudinem invicem se confirmare videbantur. Atque ea re perductus sum, ut iam in tertium affirmationum genus ingrederer antequam alterum confecissem. Quamquam dubitari fortasse potest de ἀληθέστατα, ὀρθότατα, κάλλιστα, ἀναγκαιότατα, σαφέστατα, ἄριστα utrum adverbia sint nude posita, an adiectiva, ut supplendum sit: ταῦτα ἔστιν. Sed haec dubitatio statim profligatur si reputaveris ἀληθέστατα ad ἀληθῆ pertinere neque unquam ἀληθῶς affirmationis loco usurpari potuisse quia aliud significat; item ἀναγκαιότατα ne pro adverbio habeatur cautum est his locutionibus: ἀναγκαιότατα λέγεις Phi. (1), ἀναγκαιότατα μέντοι λέγεις Leg. II (1), ἀναγκαιότατον Phi. (1), ἀναγκαιότατον μὲν οὖν Parm. (1), ἀναγκαῖον Republ. VII (1), Phi. (3), Soph. (1), Leg. II (1), III (1), IV (1). Contra nunquam dicitur ὀρθὰ-, καλὰ-, ἀγαθὰ λέγεις, sed ὀρθῶς, καλῶς, εὖ λέγεις, unde ὀρθότατα, κάλλιστα, ἄριστα adverbiorum vice fungi certo concludimus. Item σαφέστατά γε, σαφέστατα μὲν οὖν adverbia sunt. De his igitur adverbiis nude positis statim plura dicemus, cum quae de altero affirmationum genere dicenda sunt ad finem perduxerimus.

§ 14. Comparavimus ἀληθῆ λέγεις cum ἀληθῆ, ἀληθέστατα λέγεις cum ἀληθέστατα, ὀρθῶς λέγεις cum ὀρθῶς, ὀρθότατα λέγεις cum ὀρθότατα, καλῶς λέγεις cum καλῶς, κάλλιστα λέγεις cum κάλλιστα. Nunc aliam rationem inibimus. Comparabimus enim ἀληθῆ λέγεις cum ἀληθέστατα λέγεις, ὀρθῶς λέγεις cum ὀρθότατα λέγεις, ut superlativos illos serius Platoni in usum venisse probemus. Posteriores numeri superlativos significant. Hic etiam inversiones λέγεις ἀληθῆ, λέγεις ἀληθέστατα, λέγεις ὀρθῶς, λέγεις ὀρθότατα numeris comprehendi, quae in Theaeteto, Sophista, Politico, Legibus inveniuntur, item τοῦτο μὲν ἀληθῆ λέγεις, ναὶ μὰ τὸν Δία καὶ μάλα ἀληθῆ λέγεις, ἀληθῆ ταῦτα λέγεις, ἀληθῆ μέντοι λέγεις, σχεδὸν ἀληθῆ λέγεις, ἀληθέστατα μέντοι λέγεις, νῦν ὀρθῶς λέγεις, ὀρθῶς μέντοι λέγεις, κομιδῇ ὀρθῶς λέγεις.

A) ἀληθῆ λέγεις et ἀληθέστατα λέγεις: Crito 1/0, Euthyphro 4/0, Protagoras 4/0, Charmides 2/0, Hippias minor 1/0, Euthydemus 4/0, Gorgias 5/0, Meno 4/0, Cratylus 9/1, Laches 7/1, Phaedo 8/4, Convivium 6/1, Lysis 3/0, Rei publicae lib. I 2/1, II 2/0.

Phaedrus 1/2, Theaetetus 3/4, Parmenides 3/1, Rei publicae lib. III 0/1, IV 0/2, V 2/0, VI 3/1, VII 0/2, VIII 1/0, IX 0/1, X 1/1 (i. e. 7/8), Sophistes 3/3.

Politicus 1/5, Philebus 3/6, Legum lib. I 0/1, II 0/2, III 1/4, IV 1/2, VII 2/3, VIII 1/0, X 0/3, XII 2/1 (i. e. 7/16).

Apparet formam superlativam in primi ordinis dialogis rarissimam esse, in medio ordine (i. e. Phaedro et Rei publicae libris III—X Theaeteto, Sophista) eadem fere frequentia qua ἀληθῆ λέγεις, in tertio ordine (i. e. Politico, Philebo, Legibus) frequentiorem quam ἀληθῆ λέγεις.

B) ὀρθῶς λέγεις et ὀρθότατα λέγεις: Euthyphro 1/0, Charmides 2/0, Lysis 1/0, Phaedrus 1/0, Rei publicae lib. I 1/0, II 0/1, III 1/0, IV 2/0, V 2/0, VI 1/0, VII 2/0, IX 1/0, X 1/0, Theaetetus 3/0, Parmenides 2/0, Politicus 1/0 (λέγεις ὀρθῶς).

Philebus 2/6, Legum lib. I 3/3, II 0/1, III 1/1, IV 0/1, VI 1/2, VII 2/1, VIII 0/2, IX 2/0, X 1/2 (10/13).

Apparet forman ὀρθῶς λέγεις, rarissimam in prima aetate, constanter, etsi non saepe inveniri in media, formam superlativam praeter unum locum in Rei publicae lib. II non inveniri nisi in Philebo et Legibus, ubi paullo frequentior est quam altera forma.

Addo ἀναγκαιότατα λέγεις semel inveniri in Philebo, ἀναγκαιότατα μέντοι λέγεις in Legum lib. II (1).

§ 15. Compararem eadem ratione καλῶς λέγεις cum κάλλιστα λέγεις, nisi κάλλιστα λέγεις rarius esset quam ut de consuetudine aliquid statui posset. Itaque non iam ad prius membrum harum formularum, sed ad alterum animum attendimus; quod aut λέγεις esse potest (ut in omnibus locis quos in antecedentibus paragraphis respeximus) aut λέγοις ἄν, εἶπες, εἰπών, εἴρηκας, εἴρηται. Itaque nunc unam summam eius generis formularum subducam, quales sunt: ἄριστα εἶπες, ἄριστα εἴρηκας, καλῶς ἂν λέγοις, καλῶς εἴρηκας, καὶ καλῶς γε εἴρηκας, ναὶ μὰ Δία καλῶς γε εἶπες, καλῶς εἶπες, κάλλιστα εἶπες, κάλλιστα εἴρηκας, ὀρθῶς εἴρηκας, σφόδρα ὀρθῶς εἴρηκας, ὀρθότατα εἴρηκας, ὀρθότατά γε εἰπών, καὶ ταῦτά σοι ὀρθότατα εἴρηται, δικαιότατα εἴρηκας, καὶ μάλ᾽ εἰκότως εἴρηκας, eamque summam comparabo cum earum locutionum frequentia, quae λέγεις continent. Prior numerus eas significat formulas quae λέγεις continent.

Crito 1/0, Euthyphro 5/0, Protagoras 4/0, Charmides 5/0, Laches 8/0, Hippias minor 3/0, Euthydemus 4/0, Gorgias 5/0, Meno 4/0, Cratylus 10/0, Phaedo 12/0, Convivium 8/0, Lysis 4/0, Parmenides 7/0, Theaetetus 10/0.

Phaedrus 5/2, Rei publicae lib. I 5/1, II 3/0, III 3/0, IV 6/1, V 4/0, VI 5/0, VII 4/0, VIII 2/0, IX 3/0, X 4/1.

Sophistes 10/3, Politicus 13/7, Philebus 17/8, Legum lib. I 7/1, II 3/1, III 10/2, IV 5/1, VI 4/2, VII 9/2, VIII 4/1, IX 4/1, X 7/5, XI 0/1, XII 5/0.

Apparet in primo ordine formas illas exquisitiores omnino desiderari, rarissimas esse in altero, in tertio tam frequentes ut in nullo fere libro desint.

Tertium affirmationum genus posui adverbia οὕτως, ὀρθῶς, ὀρθότατα, καλῶς, κάλλιστα, σαφέστατα, ἄριστα, sive nude posita sive cum particulis καὶ, γε, μὲν οὖν etc. coniuncta; quibus propter externam speciem similitudinis addere mihi liceat ἀληθέστατα et ἀναγκαιότατα. Quae non esse adverbia antea dixi, sed probabile est easdem sermonis et consuetudinis immutationes ad has quoque pertinere.

Atque οὕτως quidem illius ea tantum congerere volui exempla quae per se posita affirmationem efficerent, ut neque verbo egerent ex antecedentibus supplendo neque οὕτως quod in verbis interrogantis antecessisset repeterent. Sed quia in his eligendis non satis diligens fuisse mihi videor neque nunc iterum dialogos perlegere mihi vacat, numeros ipsos proponere nolo: hoc videor dicere posse, usum illum semel inveniri in Euthyphrone p. 13 A (nam locus p. 8 A huc non pertinet, quia praecedit ἆρ᾽ οὐχ οὕτως), non inveniri in Critone, Protagora, Charmide, Lachete, Hippia minore, Euthydemo, Menone (nam in loco p. 98 E ex antecedentibus ἔδοξεν supplendum est), Gorgia, Cratylo, Phaedone, Convivio, Rei publicae libris I et II, inveniri in Lyside, Phaedro, Rei publicae libris III, V, VI, VIII, IX, X, Theaeteto, Parmenide, Sophista, Politico, Philebo, Legibus.

§ 16. Cetera huius generis adverbia iam ita proponam, ut unam omnium summam subducam: Phaedrus 2, Rei publicae lib. I 2, II 2, III 9, IV 2, V 15, VI 10, VII 6, VIII 4, IX 3, X 6, Theaetetus 7, Parmenides 18, Sophistes 23, Politicus 38, Philebus 19, Timaeus 1, Legum lib. I 4, II 7, III 4, IV 1, VI 1, VII 5,

VIII 5, IX 4, X 3, XII 2. An putas casu factum esse quod hoc affirmationis genus in tredecim libris, quos ad priorem aetatem ceterae quoque et Dittenbergeri et nostrae observationes relegant, nusquam reperitur, deinde in viginti septem libris constanter et quidem compluries plerumque occurrit? Quodsi hoc casu fieri potuisse mecum negaveris, fieri non poterit quin Phaedrum, qui ὀρθότατα et ὀρθότατά γε usurpat, ad seriorem aetatem referas.

§ 17. Venimus nunc ad quartum genus affirmationum, quod fit per verba ἔοικεν (εἰκός), φαίνεται, δοκεῖ, οἶμαι. Atque primum quidem inter se comparabo εἰκός et ἔοικεν, ita tamen ut omnes locutiones ex hisce derivatas numero comprehendam, scilicet:

a) εἰκός, εἰκός γε, εἰκὸς γάρ, εἰκός γοῦν, εἰκός μέντοι, εἰκὸς γὰρ οὖν, εἰκός γέ τοι, εἰκὸς ἐξ ὧν λέγεις, τὸ γοῦν εἰκός, οὕτως εἰκός, τὸ γοῦν εἰκὸς οὕτως, καὶ τοῦτο εἰκός, εἰκός· πῶς γὰρ οὔ; πῶς δ' οὐκ εἰκός (non comprehendi εἰκότως γε).

b) ἔοικεν (vel ἔοικας, ἐοίκαμεν etc.) ἔοικέ γε, ἔοικε γάρ, ἔοικε γοῦν, ἔοικε γὰρ οὖν, καὶ γὰρ ἔοικεν, ἔοικεν οὕτως ἔχειν, ἔοικε γοῦν οὕτως ἔχειν, ἔοικε γοῦν ταῦθ' οὕτως ἔχειν, πάνυ μὲν οὖν ἔοικεν, ἀληθῆ ἔοικας λέγειν. Prior numerus εἰκός etc. significat.

Euthyphro 0/2, Protagoras 1/1, Charmides 0/3, Laches 1/4, Hippias minor 1/4, Gorgias 1/7, Menon 1/5, Cratylus 3/5, Lysis 0/9, Rei publicae lib. I 0/5, II 0/1.

Phaedo 5/4, Phaedrus 0/0, Rei publicae lib. III 2/0, IV 1/1, V 3/2, VI 2/1, VII 5/1, VIII 7/0.

Rei publica lib. IX 0/2, X 0/2, Theaetetus 3/13, Parmenides 2/16, Sophistes 0/5, Politicus 5/8.

Philebus 3/4, Legum lib. I 1/1, II 1/2, III 3/2, IV 1/1, VI 2/1, VII 1/1, VIII 1/0, IX 1/0, X 1/1, XII 0/2.

Patet in primi ordinis libris ἔοικε etc. tanto frequentius esse quam εἰκός etc. ut horum sint octo tantum exempla, illorum quadraginta sex. Secuntur septem libri, in quibus εἰκός frequentius est, quam ἔοικε; illius enim viginti quattuor exempla exstant, huius novem. Rursus in ultimis Rei publicae libris, Theaeteto, Parmenide, Sophista, Politico primi ordinis ratio restituitur; sunt enim decem εἰκός, quadraginta sex ἔοικε. In Philebo denique et Legibus parva quidem est utriusque formulae frequentia, sed adeo aequalis ut et hinc et illinc quindecim exempla exsistant.

§ 18. Ex formulis a δοκεῖ derivatis una est omnium frequentissima ἔμοιγε δοκεῖ; eam conferemus cum ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ et cum δοκεῖ μοι, δοκεῖ γάρ μοι, καὶ ἐμοὶ δοκεῖ, καὶ αὐτῷ μοι δοκεῖ, ἐμοὶ μὲν δοκεῖ πάνυ σφόδρα, καὶ τοῦτό μοι δοκεῖ, δοκεῖ μοι οὕτως, δοκεῖ μοι οὕτως ἔχειν, καὶ ἐμοὶ οὕτω δοκεῖ, οὐδ' ἐμοὶ ἄλλως δοκεῖ, οὕτω μοι δοκεῖ ὡς λέγεις, δοκεῖ μοι ἔχειν ὡς λέγεις. Ad ἔμοιγε δοκεῖ etiam ἔμοιγε δοκεῖ οὕτως rettuli. Significavi autem ἔμοιγε δοκεῖ littera **a**, δοκεῖ μοι et ceteras eius generis locutiones littera **b**, ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ littera **c**.

Criton a 1, Protagoras a 1, Charmides a 1, Hippias a 1, Euthydemus a 1, Gorgias a 4, Parmenides a 1.

Meno a 5 b 3, Cratylus a 10 b 7, Laches a 3 b 1, Phaedo a 2 b 1, Convivium b 1, Lysis a 3 b 2, Rei publicae lib. I a 2 b 1, II b 3, III a 3 b 3, Theaetetus a 4 b 1 c 1.

Rei publicae lib. IV 3 b, VI 3 b, VII 1 c, VIII 1 b 1 c, IX 1 c.

Philebus 2 c, Leges 1 c.

Docet haec dinumeratio prima aetate solum ἔμοιγε δοκεῖ Platoni in usu fuisse, ultima solum manere ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ; mediis temporibus primum quidem manere ἔμοιγε, ita tamen ut ei accedant δοκεῖ μοι ceteraeque eius generis formulae, deinde ἔμοιγε δοκεῖ plane deficere, donec ei succedat ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ.

Hoc ne quis casu factum esse putet, moneo non solum ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ, sed etiam ceteras formulas cum particula γοῦν coniunctas in senectutis maxime scriptis inveniri.

εἰκός γε Prot. 1, La. 1, Hi. 1, Go. 1, Crat. 3, Phaedon. 2, Theaet. 1, Rep. III 1, IV 1, VI 1, VII 2, VIII 3. — Phil. 2, Leg, II 1, VI 1.

εἰκὸς γοῦν Soph. 1, Leg. III 2, VII 1, VIII 1, IX 1.

ἔοικε γε La. 1, Hi. 1, Go. 1, Me. 1, Crat. 2, Theaet. 1, Polit. 2, Leg. VII 1.

ἔοικε γοῦν Parm. 1, Polit. 4, Phil. 2, Leg. II 1, III 2, IV 1, VI 1, X 1, XII 2.

φαίνεταί γε Charm. 1, Gorg. 2, Men. 1.

φαίνεται γοῦν Polit. 1, Phil. 3, Leg. IX 1.

ἔχει ὃ λέγεις λόγον Rep. VII 1, ἔχει γὰρ λόγον Repb. II 1, VIII 1, X 1, Leg. III 1.

ἔχει γοῦν λόγον Polit. 1, Leg. VI 1.

§ 19. Formulae ἀληθῆ μοι δοκεῖς λέγειν, παντάπασί μοι δοκεῖς ἀληθῆ λέγειν, ἀληθέστατα δοκεῖς μοι λέγειν; ὀρθῶς μοι δοκεῖς λέγειν, ἔμοιγε δοκεῖς ὀρθῶς λέγειν, ὀρθῶς μοι δοκεῖς εἰρηκέναι; εὖ μοι δοκεῖς λέγειν, πάνυ μὲν οὖν εὖ μοι δοκεῖς λέγειν, ἀλλά μοι δοκεῖς καλῶς λέγειν, κάλλιστα δοκεῖς μοι λέγειν inveniuntur in Charmide (1), Euthydemo (1), Menone (3), Cratylo (2), Rei publicae lib. I (1), II (2), V (1), X (1), Leg. IV (1); absunt igitur hae quoque a Sophista, Politico, Philebo, neque in Legibus invenitur nisi unum ἀληθέστατα δοκεῖς μοι λέγειν.

οἶμαι, οἶμαι ἔγωγε. ξυνοίομαι, ξυνοίομαι καὶ ἐγώ inveniuntur in Hippia minore (1), Gorgia (1), Menone (1), Cratylo (1), Lyside (1), Rei publicae lib. I (3), II (1), V (1), VIII (2), IX (1), X (2). In Legum libro IV semel inversio ἔγωγ' οἶμαι usurpatur. Eodem pertinet καὶ ἐγὼ οὕτω μαντεύομαι Rei publ. lib. VII (1), ἐγὼ μὲν ἀποδέχομαι οὕτω in eodem lib. VII (1).

φημί (φημὶ γάρ) exstat in Protagora (1), Gorgia (18), Menone (1), Cratylo (2), Phaedro (1), Rei publicae lib. I (2), Politico (1), ξύμφημι, ξύμφημί σοι, παντάπασιν ξύμφημι in Rei publicae lib. VII (1), X (2), ξυγχωρῶ, συγχωρῶ ὃ λέγεις in Phaedro (1), Rei publicae lib. V (1), Theaeteto (1), συνδοκεῖ μοι, πάνυ μοι ξυνδοκεῖ, καὶ ἐμοὶ ξυνδοκεῖ in Protagora (1), Rei publicae lib. III (1), IV (1).

Vix casu factum est quod omnes formulae, quibus suum animi statum is qui assentitur depingit dicitque „sibi quoque idem videri“ vel „se quoque idem opinari“ in Sophista, Politico, Philebo, Legibus partim multo rarius inveniuntur, partim omnino deficiunt. Maxima est talium locutionum frequentia in Gorgia, Menone, Cratylo, deinde in Rei publicae libris. Sunt enim (non comprehensis εἰκός et ἔοικε) in Menone, Gorgia, Cratylo 54/546, in Rei publicae libris 45/925, in ceteris omnibus libris 40/2265.

§ 20. φαίνεται etc., φαίνεταί γε, φαίνεται οὕτως, οὕτως φαίνεται, φαίνεται γοῦν, φαίνεταί γε δή. φαίνεται οὕτω γε, φαίνεται γὰρ οὖν οὕτως, φαίνεται γοῦν ἐκ τῶν λεγομένων, φαίνεται ὡς ἔοικεν οὕτως ὡς σὺ λέγεις, φαίνεταί μοι, φαίνεται ἔμοιγε, ἀλλὰ μὴν φαίνεταί γε, καὶ μάλα δὴ φαίνεται, καὶ μάλα οὕτω φαίνεται, παντάπασιν οὕτω φαίνεταί μοι, quorum longe frequentissimum est φαίνεται (vel φαίνει, φαίνονται etc.) nude positum, omnia numeris comprehendi. Exclusi, quia non videbantur huc pertinere, ἀνάγκη φαίνεται, quod in Menone semel, ἀνάγκη αὖ φαίνεται quod in Parmenide semel, ἀναγκαῖον φαίνεται ἔμοιγε, quod in Philebo semel invenitur.

Criton 0/14, Euthyphro 0/44, Protagoras 1/40, Laches 1/49, Euthydemus 2/68.

Charmides 5/67, Hippias minor 6/58, Gorgias 16/239, Meno 10/130, Cratylus 15/176, Phaedo 6/131, Lysis 4/93, Rei publicae lib. I 8/100, Theaetetus 10/198, Parmenides 24/298.

Phaedrus 1/62, Rei publicae lib. II 2/70, III 1/103, IV 4/95, V 1/121, VI 0/74, VII 1/84, VIII 1/109, IX 1/95, X 1/74, Sophistes 2/240, Politicus 7/210, Philebus 3/257, Legum lib. I 1/56, II 1/53, III 1/68, IV 0/31, VI 1/28, VII 0/62, VIII 0/16, IX 1/25, X 0/50, XII 0/20.

In primo et tertio ordine parva est harum affirmationum frequentia, in altero magna. Nam ex primo et tertio triginta quattuor, ex altero centum et quattuor exemplorum summa efficitur. Omnium vero affirmationum in primo et tertio ordine numerus est 2218, in altero 1490.

§ 21. Unum restat quod quintum diximus affirmationum genus quodque vel maximi est in chronologia Platonica momenti. Interrogationes dico rhetoricas: πῶς δ' οὔ; καὶ πῶς οὔ; πῶς δ' οὐ μέλλει; πῶς γὰρ οὔ; πῶς γὰρ οὐ μέλλει; πῶς γὰρ ἂν ἄλλως; τί δ' οὐ; τί δ' οὐ μέλλει; τί γὰρ οὔ; τί δὴ γὰρ οὔ; τί γὰρ οὐ μέλλει; ἀλλὰ τί μέλλει; τί γὰρ κωλύει; τί μήν; ἀλλὰ τί μήν;

Quod ad τί μήν; attinet moneo unum locum a Dittenbergero errore omissum esse, qui exstat in Lyside p. 219 E οἷον εἰ αἰσθάνοιτο αὐτὸν κώνειον πεπωκότα (scil. ὁ πατὴρ τὸν υἱόν) ἆρα περὶ πολλοῦ ποιοῖτ' ἂν οἶνον, εἴπερ τοῦτο ἡγοῖτο τὸν υἱὸν σώσειν; Τί μήν; ἔφη. Quod nescio an ipse vir doctissimus aliive iam viderint. Est enim profecto gravissimum ad quaestionem de Lysidis tempore dirimendam. Item Dittenberger cum duo diversa formulae ἀλλὰ τί μήν; genera iure suo distinxisset, quorum alterum huc pertinet (i. e. affirmationem continet rhetorica interrogatione expressam) alterum non, quattuor quidem locos congessit, ubi ἀλλὰ τί μήν; affirmative usurpatur, quintum errore omisit Rei publicae VIII p. 559 D, ubi de affirmativa vi illius formulae non potest dubitari.

Atque primum quidem omnium eius generis interrogationum numeros proponam. Posterior numerus omnium est eius libri affirmationum: Crito 2/14, Euthyphro 6/44, Protagoras 0/40, Charmides 3/67, Laches 4/49, Hippias 3/58, Euthydemus 1/68, Meno 3/130, Gorgias 16/239, Cratylus 6/176, Phaedo 12/131, Convivium 0/27, Lysis 10/93, Phaedrus 14/62, Rei publicae lib. I 9/100, II 8/70, III 18/103, IV 14/95, V 10/121, VI 14/74, VII 12/84, VIII 15/109, IX 14/95, X 11/74, Theaetetus 23/198, Parmenides 38/298, Sophistes 49/240, Politicus 46/210, Philebus 59/257, Legum lib. I 15/56, II 13/53, III 20/68, IV 8/31, VI 11/28, VII 20/62, VIII 3/16, IX 5/25, X 6/50, XII 4/20.

Ex his numeris apparet prima aetate parvam esse harum interrogationum frequentiam, maiorem fieri media aetate, maximam ultima. Nam Crito propter parvos numeros nihil probat. In Critone, Euthyphrone, Protagora, Charmide, Hippia, Euthydemo, Gorgia, Menone, Cratylo, Lachete, si omnium unam summam subduco, vicesima fere pars affirmationum interrogativa est. In secundo ordine quod Convivium nullam habet interrogationem, propter parvum numerum nihil probat. In Phaedone, Convivio, Lyside, Phaedro, Rei publicae libris, Theaeteto, Parmenide, si iterum unam summam subduco, octavam fere affirmationum partem interrogationes implent; in Sophista, Politico, Philebo et in Legum libris quartam partem.

§ 22. Conferamus iam inter se πῶς δ' οὔ; et πῶς γὰρ οὔ; quae sine ullo sententiae discrimine usurpantur. Prior numerus significat πῶς δ' οὔ; — Crito 1/1, Euthyphro 2/3, Charmides 2/1, Laches 0/4, Hippias 0/1, Euthydemus 0/1, Gorgias 0/16, Meno 1/2, Cratylus 1/4, Rei publicae lib. I 0/9, Phaedo 3/9, Lysis 2/6, Phaedrus 1/1.

Theaetetus 5/3, Parmenides 23/6, Rei publicae lib. II 6/1, III 6/6, IV 5/2, V 4/2, VI 6/1, VII 5/3.

Rei publicae lib. VIII 1/5, IX 4/5, X 4/3, Sophistes 12/22, Politicus 14/10, Philebus 8/17, Legum lib. I 3/5, II 1/4, III 3/5, IV 0/5, VI 0/6, VII 4/8, VIII 0/2, IX 1/2, X 0/3, XII 0/2.

In primo librorum ordine praevalet πῶς γὰρ οὔ; (13/58), in altero πῶς δ' οὔ; (60/23), in tertio primum quidem non multum interest et quasi vacillat consuetudo, dein magis magisque πῶς γὰρ οὔ; rivalem superat (47/87).

§ 23. Iam conferamus interrogationes quae per πῶς fiunt, cum iis quae per τί. Atque earum quidem quae per πῶς fiunt non solum πῶς δ' οὔ; et πῶς γὰρ οὔ; sed etiam πῶς γὰρ οὐ μέλλει; et πῶς γὰρ ἂν ἄλλως; in primi ordinis libris inveniuntur (in Hippia et Cratylo). Quodsi καὶ πῶς οὔ; uno tantum loco in Legum lib. IX, πῶς δ' οὐ μέλλει; bis in Rei publicae libris IX et X inveniuntur, hoc nihil pertinet ad immutatam Platonis consuetudinem. Eae vero interrogationes quae per τί fiunt, si excipio ἀλλὰ τί μέλλει (semel in Hippia) et τί γὰρ κωλύει; (semel in Euthyphrone), non inveniuntur nisi in Lyside, Phaedro, Rei publicae libris inde ab altero, Theaeteto, Parmenide, Sophista, Politico, Philebo, Legibus; inter hos autem nullus liber est, in quo non inveniantur. Sunt autem hae: τί δ' οὔ; τί δ' οὐ μέλλει; τί γὰρ οὔ; τί δὴ γὰρ οὔ; τί γὰρ οὐ μέλλει; τί μήν; ἀλλὰ τί μήν.

Alia ratione usi et via eodem pervenimus quo iam Dittenberger pervenerat, ut τί μήν; aetatis Platonicae serioris signum et documentum esse intellegeret. Atque eo quod non ad τί μήν; solum, sed etiam sed ceteras interrogationes per τί factas hoc pertinere docemus, haud mediocriter confirmatur, non casum hic regnare sed re vera immutatum esse Platonis sermonem. Itaque nihil probat contra Dittenbergerum quod Schanzius dicit Herm. XI p. 449: Das Mangelhafte, das den Beobachtungen der Verbindungen mit μήν anklebt, ist, dass sie uns keinen Kampf vorführen. Nam hic quoque pugna est inter eas interrogationes quae per πῶς et eas quae per τί fiunt. Neque igitur ea quae Schanzius de ὄντως, τῷ ὄντι, ἀληθῶς, ὡς ἀληθῶς observavit Dittenbergeri observationibus per se praeferenda sunt neque iis statim adstipulabimur quae ex suis observationibus profectus contra Dittenbergerum statuit, sed accuratius disceptabimus, num revera ὄντως alia doceat et diversa ab iis quae e τί μήν concludimus.

Sed primum numeros proponam. τί μήν occurrunt in Lyside 1/93, Phaedro 11/62, Rei publicae lib. II 1/70, III 4/103, IV 5/95, V 2/121, VI 6/74, VII 4/84, VIII 6/109, IX 6/95, X 1/74, Theaeteto 13/198, Parmenide 6/298, Sophista 12/240, Politico 20/210, Philebo 26/257, Legum lib. I 6/56, II 7/53, III 12/68, IV 3/31, VI 5/28, VII 8/62, VIII 1/16, IX 1/25, X 3/50, XII 2/20. Frequentissimum est τί μήν; in Phaedro, Politico, Philebo, Legum libris usque ad septimum. In his enim solis decimam partem vel etiam plus omnium affirmationum implet (98/827), in ceteris omnibus vicesimam sextam (74/1525).

§ 24. Si vero interrogationum omnium quae per τί fiunt frequentiam cum earum quae per πῶς fiunt frequentia comparo, (prior numerus τί significat) Lysis habet 3/8, Rei publicae lib. II 1/7, III 6/12, IV 7/7, V 4/6, VI 7/7, VII 4/8, VIII 10/6, IX 7/10, X 3/8, Parmenides 9/29, Sophistas 15/34 — Phaedrus 12/2, Theaetetus 15/8, Politicus 22/24, Philebus 34/25, Legum lib. I 7/8, II 8/5, III 12/8, IV 5/5, VI 6/6, VII 8/12, VIII 6/2, IX 1/4, X 3/3, XII 2/2 (58/55).

In Lyside, Parmenide, Rei publicae libris II et III longe frequentiores sunt interrogationes per πῶς factae, in libris Rei publicae IV—VIII fere idem numerus est utriusque generis (32/34) etiam frequentius τί in Phaedro et Theaeteto. Rursus πῶς frequentius in Rei publicae lib. IX et X, Sophista, rursus aequalis numerus in Politico, frequentius τί in Philebo et Legum libris I—VI.

Iam postquam numeros omnium affirmationum congessimus videamus quid inde de singulorum dialogorum temporibus concludi possit. In viginti quattuor paragraphos contulimus quae ad sermonem Platonis immutatum pertinere videbantur; quibus comprehensum est etiam illud quod Dittenberger observaverat de τί μήν. His vicesimum quintum caput accedit Schanzii illud ὄντως, quod non ad affirmationes a nobis observatas pertinet. Unum addam vicesimum sextum quod a ceteris genere differt: interrogationes dico quasdam quibus collocutor philosophum monere solet ut quod dixerit accuratius explicet. Neque tamen omnes pernumeravi, sed eas tantum quae per pronomen ποῖος fiunt, ad substantivum aliquod antecedentis orationis relatum, sive nude ponitur ποῖον, ποῖα, ποίῳ etc., sive cum articulo τὸ ποῖον, τὰ ποῖα etc., sive quod saepissime fit cum particula δή, ut ποῖον δή, ποῖα δή, sive cum pronomine demonstrativo οὗτος, ut ποῖα ταῦτα, sive cum pronomine indefinito τις, ut ποῖόν τι, sive cum articulo et pronomine demonstrativo, ut τὰ ποῖα ταῦτα, cum articulo et δή, ut τὰ ποῖα δή, cum articulo, δή et pronomine demonstrativo τὰ ποῖα δὴ ταῦτα et quae similia sunt. Comprehendi eos quoque locos ubi λέγε vel λέγεις additur: λέγε τὸ ποῖον, ποῖα δὴ λέγεις. Horum igitur frequentiam ut demonstrarem, paginarum Hermanni numeros adscripsi. Nil tale invenitur in Critone, Euthyphrone, Protagora, Charmide, Hippia, Euthydemo, Menone, Phaedone, Convivio (ubi nulla fuit occasio), Lyside, Rei publicae libro I. Enotavi ex Gorgia 1/116, Cratylo 7/79, Lachete 4/32, Phaedro 6/68, Rei publicae lib. II 4/32, III 2/37, IV 8/31, V 7/36, VI 8/32, VII 16/31, VIII 4/30, IX 8/25, X 5/31, Theaeteto 15/101, Parmenide 3/50, Sophista 37/82, Politico 41/83, Philebo 43/87, Legum lib. I 1/34, II 5/30, III 12/36, IV 8/27, VI 4/43, VII 10/49, VIII 4/29, IX 6/38, X 11/36, XII 2/36. — Elucet ex hac tabula, hoc interrogationum genus inde a quarto Rei publicae libro frequentius inveniri, Cratylum, Phaedrum, Theaetetum, Parmenidem cum primis Rei publicae libris in minore frequentia conspirare, longe maximam esse frequentiam in Sophista, Politico, Philebo, minorem rursus in Legibus. Quanto autem maior sit in Sophista, Politico, Philebo quam in Rei publicae libris frequentia magis etiam intelleges, si imprimendi rationem quae est in editione Hermanni respexeris. Nam in Sophista, Politico, Philebo singulae paginae multo minorem continent verborum numerum quam in Re publica.

Haec igitur viginti sex capita in definiendis temporibus dialogorum respiciemus.

Ante Leges, quod ultimum esse constat Platonis opus, proxime scriptum esse Philebum, quae pervolgata est inter doctos homines sententia, nostris numeris mirum quantum confirmatur. Nam ut taceam de iis proprietatibus, quas Philebus et Leges cum aliis libris communes habent, sunt quae solum Philebum cum Legibus coniungunt. Cum in Rei publicae libris, Theaeteto, Parmenide, Sophista, Politico ἀληθῆ frequentius sit quam ἀληθῆ λέγεις, in Philebo et Legibus contrarium evenit (§ 9); ὀρθῶς λέγεις, quod in Sophista et Politico evanuerat, cum in illo decem, in hoc quattuordecim ὀρθῶς occurrerent, in Philebo et Legum lib. I rursus exsistit (§ 12); cum in Phaedro, Rei publicae libris inde a tertio, Parmenide, Sophista, Politico ὀρθότατα saepius inveniatur, nunquam ὀρθότατα λέγεις, in Philebo par numerus exstat utriusque locutionis, in Legibus praevalet ὀρθότατα λέγεις (§ 13); in Philebo tantum et Legibus, si unum excipias Rei publicae lib. II, ὀρθότατα λέγεις frequentius est quam ὀρθῶς λέγεις (§ 14); in Rei publicae lib. IX X, Theaeteto, Parmenide, Sophista, Politico ἔοικε frequentius est quam εἰκός, in Philebo et Legibus idem utriusque locutionis numerus (§ 17); in interrogationum rhetoricarum usu affirmativo Philebus ad magnam frequentiam proxime accedit, quae est in Legum libris I—VII (§ 21).

Sophista et Politicus cum inter se simillimam consuetudinem, tum cum Philebo et Legibus haud pauca habent communia; sunt etiam quae Politicum artius quam Sophistam cum Philebo et Legibus coniungant. ἀληθέστατα λέγεις frequentius est quam ἀληθῆ λέγεις in Politico, Philebo, Legibus, par numerus in Sophista, ut etiam in Rei publicae libris III—X. Sequitur ut Sophistam medium collocemus inter Rem publicam et Politicum (§ 14 A). In Sophista, Politico, Philebo, Legibus affirmationes quae fiunt per εἶπες, εἴρηκας etc. cum adverbio coniunctis frequentiores fiunt (§ 15). ἔοικε γοῦν habet Parm. 1, Politicus 4, Philebus 2, Leges 8, nullus ex ceteris libris, εἰκὸς γοῦν Soph. 1, Leges 5, nullus ex ceteris, φαίνεται γοῦν Polit. 1, Phil. 3, Leg. 1, ἔχει γοῦν λόγον Polit. 1, Leg. 1 (§ 18). Formulae quibus ὁ ἀποκρινόμενος dicit, „sibi quidem ita videri", absunt fere a Sophista, Politico, Philebo, Legibus (§ 19). Interrogationes affirmativae longe frequentiores sunt in Soph., Polit., Philebo, Legibus quam in ceteris omnibus (§ 21). In Sophista, Philebo, Legibus πῶς γὰρ οὔ; frequentius est quam πῶς δ' οὔ; cum in Rei publicae libris II—VII Theaeteto, Parmenide frequentius sit πῶς δ' οὔ. Quod vero in Politico 14 πῶς δ' οὔ; exstant, 10 tantum πῶς γὰρ οὔ; casu factum est (§ 22). τί μήν, si Phaedrum excipias, frequentissimum est in Politico, Philebo, Legibus (§ 23). τῷ ὄντι illud Schanzii in Politico, Philebo, Legibus ab ὄντως oppressum evanescit, item ὡς ἀληθῶς oppressum ab ἀληθῶς (§ 25). Interrogationum, quae per pronomen ποῖος fiunt, in Sophista, Politico, Philebo aequalis fere frequentia est eaque tanta quanta in nullo alio libro (§ 26). Contendo igitur ultimos libros hoc ordine se excipere: Sophistam, Politicum, Philebum, Leges. Ad Timaeum mea ratio non pertinet.

Progredimur ad difficillimam partem quaestionis, quae est de Rei publicae libris, Phaedro, Parmenide, Theaeteto. Numeri probare videntur ultimos Rei publicae libros Sophistam et Politicum proxime antecedere. Primus Rei publicae liber tantopere a ceteris affirmationum consuetudine differt, ut aliquanto ante ceteros scriptus esse videatur. Sunt etiam in quibus ultimi Rei publicae libri a mediis differant. Theaetetus et Parmenides inter se maxime et cum mediis Rei publicae libris conspirant. Ad eandem aetatem Phaedrum quoque pertinere certissimis probatur argumentis.

Primum videamus, quid Rei publicae libri sive omnes sive ultimi cum Sophista et Politico commune habeant. § 1: Rei publ. lib. X (Theaet. Parm.) Soph. Pol. Leg. lib. I saepius habent ναί, πάνυ γε, πάνυ μὲν οὖν et quam Rei publ. libri II—IX et quam Phil., Leg. lib. II—XII. — § 4: καὶ μάλα, μάλα γε etc. quae frequentia sunt in Phaedro et Rei publ. lib. III—IX, multo rariora fiunt in libro X (Theaeteto, Parmenide) Sophista, Politico. — § 5: μάλιστα, μάλιστά γε etc., cum inveniantur ut in prioribus plerisque ita in Rei publicae lib. I—V, VII—VIII, desunt in lib. VI, IX, X (Theaeteto, Parmenide) Sophista, Politico. — § 9: ἀληθῆ frequentius est quam ἀληθῆ λέγεις in singulis Rei publicae libris omnibus praeter sextum, item in (Theaeteto, Parmenide) Sophista, Politico, cum in ceteris dialogis contrarium eveniat. — § 10: in Rei publ. lib. III—X, (Theaeteto, Parmenide) Sophista, Politico, Philebo ἀληθέστατα saepius invenitur quam ἀληθέστατα λέγεις, quod in ceteris libris secus fit. — § 11: ὀρθῶς, quod a prioribus abest, postquam in Rei publ. libris II—X (Theaeteto, Parmenide) frequentius exstitit quam ὀρθῶς λέγεις, in Sophista Politico illud plane opprimit. — § 13: Cum Rei publicae libris II—IX (et Parmenide) Sophistes et Politicus conspirant eo quod ὀρθότατα regnat, deficit ὀρθότατα λέγεις. — § 17: ἔοικε, quod in mediis Rei publicae libris ab εἰκός opprimebatur, in pristinam frequentiam restitutum videmus in lib. IX, X

(Theaeteto, Parmenide) Sophista, Politico. — § 20: φαίνεται etc. ut in Phaedro et Rei publ. lib. II—X ita in Sophista, Politico, Philebo, Legibus haud frequens est, multo frequentius in ceteris (etiam in Theaeteto et Parmenide). — § 22: Cum Theaetetus et Parmenides conspirent cum Rei publ. lib. II—VII eo quod πῶς δ'οὔ; saepius habent quam πῶς γὰρ οὔ;, in libris VIII—X, Sophista, Philebo, Legibus regnat πῶς γὰρ οὔ; —

Haec sunt, quae probant Sophistam et Politicum ultimos Rei publicae libros subsequi. Insunt etiam etiam quae ad Theaetetum et Parmenidem pertineant. Sed cum in his maxima insit difficultas, prius ea congerimus quae primum Rei publicae librum aliquanto ante ceteros scriptum esse probant. § 1: in lib. I ναί, πάνυ γε, πάνυ μὲν οὖν plus quam tertiam partem implent omnium affirmationum, in ceteris minus quam quartam; conspirat autem lib. I hac in re cum Phaedone, Convivio, Lyside. — § 2: lib. I πάνυ γε saepius usurpat quam πάνυ μὲν οὖν, ut omnes qui primae sunt aetatis, libri II—IX πάνυ μὲν οὖν praeferunt. — § 4: lib. I nullum μάλα habet, quod in ceteris nusquam desideratur. — § 7: δῆλον in lib. I, II (IV) deest, ut in primae aetatis omnibus, occurrit in ceteris. — § 8: ἔστιν οὕτως et similia non inveniuntur in lib. I—III, exstant in IV, V, VII, VIII, IX, X. — § 10: in lib. I ἀληθέστατα λέγεις invenitur, nullum ἀληθέστατα, in ceteris frequentius est ἀληθέστατα. — § 11: lib. I habet ὀρθῶς λέγεις, nullum ὀρθῶς, in ceteris ὀρθῶς saepius invenitur quam ὀρθῶς λέγεις. — § 13: lib. I neque ὀρθότατα continet neque ὀρθότατα λέγεις, quae occurrunt in II, III, V, VI, VII, IX. — § 17: lib. I, II ἔοικε saepius usurpant quam εἰκός, contrarium evenit in III—VIII. — § 20: in lib. I frequens est φαίνεται, in II—X rarum. — § 22: lib. I continet novies πῶς γὰρ οὔ;, nullum πῶς δ'οὔ; in libris II—VII πῶς δ'οὔ; frequentius est. — § 23: in lib. I nullum est τί μήν;, quod in ceteris omnibus occurrit. — § 26: lib. I solus inter Rei publicae libros caret interrogationibus illis per ποῖος factis.

Patet tot sermonis et consuetudinis immutationes fieri non potuisse nisi compluribus annis interpositis. Nam spatio, quo sequentes libri a primo seiunguntur, eae mutationes fere omnes factae sunt, quibus serior aetas a priore discernitur: τί μήν; aliaeque interrogationes per τί factae Platoni in usum venerunt, item ὀρθῶς et ἀληθέστατα; φαίνεται frequentiam suam amisit, πῶς δ'οὔ; pro πῶς γὰρ οὔ;, πάνυ μὲν οὖν pro πάνυ γε, εἰκός pro ἔοικε invaluit; ab usitatissimarum affirmationum (ναί, πάνυ γε, πάνυ μὲν οὖν) nimia atque molesta repetitione Plato cavere didicit. Haec omnia, quae modo enumeravi, praeter eos libros de quibus adhuc locuti sumus in aliis quoque inveniuntur: τί μήν; in Lyside, Phaedro, Parmenide, Theaeteto, ὀρθῶς et ἀληθέστατα in Parmenide, Theaeteto; πῶς δ'οὔ etiam in Parmenide, Theaeteto praevalet, πάνυ μὲν οὖν in Theaeteto et Phaedro; Parmenides et Theaetetus mediam habent volgarium affirmationum (ναί, πάνυ γε, πάνυ μεν οὖν) frequentiam inter priores libros et Rei publicae libros inde ab altero, Phaedrus ad hos magis se applicat. Itaque certum est Lysidem, Phaedrum, Parmenidem, Theaetetum post primum Rei publicae librum scriptos esse.

Atque Lysidem quidem apparet ante Rei publicae lib. II scriptum esse. Nam praeter τί μήν illud nihil habet ex librorum Rei publ. inde ab altero proprietatibus: ναί, πάνυ γε, πάνυ μὲν οὖν in Lyside plus quam tertiam omnium affirmationum partem implent, πάνυ γε saepius habet quam πάνυ μὲν οὖν, nullum habet παντάπασιν, nullum μάλα, nullum δῆλον, nullum ὀρθῶς, nullum ὀθότατα vel ὀρθότατα λέγεις, nullum ἀληθέστατα, nullum εἶπες, εἴρηκας etc., pluries ἔοικε quam εἰκός, pluries πῶς γὰρ οὔ; quam πῶς δ'οὔ; multa φαίνεται (4/93). In quibus omnibus a Rei publ. l. II—X recedit, ad priores magis libros se adplicat.

Parmenides vero et Theaetetus et Phaedrus quo ordine et quando scripti sint ex numeris nostris non satis elucet. Neque enim numeri magnopere repugnabunt neque siquis omnes post Rei publ. libros II–IX, neque si omnes ante illos neque si partim ante partim post illos scriptos esse statuerit. Mihi videntur omnes ante Rei publ. lib. II probabiliter inseri posse. Sed cavendum est ne numeris nostris nimium confidamus neve plus ex illis enucleare conemur, quam rationis huius natura permittit. Hoc certum est Parmenidem, Theaetetum, Phaedrum eadem aetate qua Rei publicae libros II–X scriptos esse.

Ceterorum librorum nullum post Lysidem scriptum esse, τί μήν; illud satis probat. Accedit ἀλλά — μήν Dittenbergeri. Etiam quod ἀληθῆ saepius habet quam ἀληθῆ λέγεις (§ 9) huc pertinet. Ceteris vero proprietatibus cum antecedentibus magis coniunctus est. Sunt autem scripti, si numeros sequimur, proxime ante Lysidem, Rei publicae lib. I, Phaedo, Convivium. Porro ad hanc aetatem satis certis indiciis Laches referri potest, quem ante Rei publicae librum I scriptum esse crediderim. In Lachete semel invenitur παντάπασι ut in Rei publ. lib. I, quater in Phaedone; quam affirmationem deinde in uno quoque libro constanter inveniri probavimus (§ 3). Quod in Lachete deest μάλιστα in Rei publ. lib. I 1/100, Phaedone 1/131, Convivio 1/27 rarissimum est, deest etiam in Lyside (§ 5). Laches habet ἀληθέστατα λέγεις ut Cratylus, Rei publ. I, Phaedo, Convivium et seriores libri fere omnes; quod desideratur in Cri., Euthyphrone, Prot., Charm., Hip., Euthyd., Menone, Gorgia (§ 10). Laches non solum ἔμοιγε δοκεῖ habet, ut Cri., Prot., Charm., Hip., Euthyd., Gorg., sed etiam δοκεῖ μοι, ut (praeter Menonem et Cratylum) Rei publ. lib. I, Phaedo, Convivium, Lysis (§ 18). Cum Lyside Rei publicae lib. I et Phaedo plures habent interrogationes affirmativas quam dialogi priores (§ 21). ἀνάγκη frequens est in Rei publicae lib. I, Phaedone, Lyside (§ 6). φαίνεται in Phaedone et Lyside, ut in Rei publicae lib. I frequens est (§ 20).

Proxime ante hos libros ex numeris scripti videntur esse Hippias, Euthydemus. Gorgias, Meno, Cratylus. Ex quibus Cratylum ultimum esse inde quod ἀληθέστατα λέγεις usurpat, probabiliter aliquis coniecerit. Etiam septem interrogationes per ποῖος factae huc pertinent. Habent autem commune primum hoc quod in iis ναί, πάνυ γε, πάνυ μὲν οὖν plus quam dimidiam partem omnium affirmationum implent (§ 1). Affirmationes quae hanc formam habent: ἀληθῆ μοι δοκεῖς λέγειν praeter unum Charmidis locum et complures Rei publicae non occurrunt nisi in Euthydemo (1), Menone (3), Cratylo (2) (§ 19). οἶμαι ἔγωγε et similia praeter unum Lysidis locum et complures Rei publicae non inveniuntur nisi in Hippia (1), Gorgia (1), Menone (1), Cratylo (1). φημί quod in Gorgia (18) frequentissimum est, etiam in Menone (1) et Cratylo (2) et Rei publicae lib. I (2) occurrit. Omnes denique locutiones quibus „sibi quoque idem videri“ vel „se quoque idem opinari“ dicit is qui respondet, in Gorgia, Menone, Cratylo multo frequentiores sunt quam in ullo alio libro (§ 19). Memorabile etiam hoc est, quod φαίνεται in Charmide, Hippia, Gorgia, Menone, Cratylo plus quam decimam quintam partem omnium affirmationum implet, quod praeterea non fit nisi in Rei publicae lib. I et Parmenide (§ 20).

Cratylum post Gorgiam et Menonem scriptum esse propter illud ἀληθέστατα λέγεις suspicatus sum; Menonem post Gorgiam scriptum esse, inde conieceris quod Gorgias ἔμοιγε δοκεῖ quater habet, nullum δοκεῖ μοι, ut Cri., Prot., Charm., Hip., Euthyd., Meno et Cratylus etiam δοκεῖ μοι. Sed hoc valde incertum est, nisi alia accedunt argumenta.

Primi igitur scripti sunt Protagoras, Euthyphro, Crito, Apologia, Charmides. Quo vero ordine scripti sint neque numeri nos docent neque mihi nunc quaerere in animo est.

Quodsi certis annorum terminis illas dialogorum familias quas distinximus includere licet, putaverim ante primum iter Siculum scriptos esse Protagoram, Euthyphronem; Critonem, Apologiam, Charmidem; Hippiam, Euthydemum, Gorgiam, Menonem, Cratylum; inter primum et alterum iter Siculum Lachetem, Rei publicae lib. I Phaedonem, Convivium, Lysidem, Parmenidem, Theaetetum, Phaedrum, Rei publicae lib. II—IX; inter alterum et tertium iter Siculum Rei publicae lib. X Sophistam, Politicum; post tertium iter Siculum Philebum et Leges.

Vix opus est dicere non pro certis exploratisque haec a me proponi. Nam ut supra dixi multas huius modi de sermone Platonis mutato quaestiones fieri vellem, quae invicem se corrigerent vel confirmarent. Nam certum duco hanc totam rationem idoneam quidem esse ad tempora librorum definienda, sed in singulis non esse erroribus exemptam. Accedit quod quae numeri docent ut omnes habeant libenter assentientes rerum et philosophiae explicatione munienda sunt. Quod ab huius scriptionis consilio alienum est.

Dubitationes vero, quae a quibusdam viris doctis de totius rationis utilitate motae sunt, plane profligasse mihi videor. Nam si proprietates sermonis quas observavimus a mero casu penderent neque pertinerent omnino ad sermonem Platonis diversis aetatibus iterum iterumque immutatum, quomodo fieri posset ut tot observationes inter se congruerent?

Iam Schanzius rectissime dixit suas conclusiones ex adverbiorum ὄντως et ἀληθῶς frequentia factas in rebus gravissimis mirum quantum congruere cum Dittenbergeri conclusionibus. Ea vero capita de quibus inter illos convenit etiam meis numeris confirmantur. Quod autem Schanzius contra Dittenbergerum probare voluit, Cratylum et Euthydemum post Phaedonem, Convivium, Lysidem, Phaedrum scriptos esse, quia uterque semel ὄντως habet, hac in re ex una observatione nimium conclusisse mihi videtur. Nam ex meis numeris patet Euthydemum et Cratylum cum Gorgia et Menone tota affirmationum consuetudine conspirare; neque mirum est inauditumve quae semel in uno alterove dialogo occurrit locutio, eam in aliis qui post illos scripti sunt deficere, dein rursus in usum et consuetudinem venire. Neque probare possum quod dicit Schanzius p. 452: Wenn das achte Buch (scil. Rei publicae) kein ὄντως aufweist, so ist daraus kein Schluss zu ziehen; denn es ist bekannt, dass die Büchervertheilung der Republik in ihrer jetzigen Gestalt unmöglich von Plato herrühren kann; das achte Buch und das neunte hängen auf's innigste zusammen; es bildet sonach das achte Buch kein Werk für sich und gestattet deshalb auch keinen Schluss ohne Rücksicht auf das neunte Buch zu ziehen. Concedo viro docto nihil inde concludi posse quod in lib. VIII ὄντως deest, sed non eam ob causam quam ipse affert — tamquam si Plato hanc sibi legem dixerit, ut in uno quoque libro semel saltem ὄντως usurparet — sed quia locutionem quae in antecedentibus et sequentibus libris non plus quam semel bisve occurrit, nequaquam mirum est in medio libro desiderari. Atqui in ceteris quoque libris semper frequentius est τῷ ὄντι; quod cum in lib. VIII semel tantum occurrat, quid mirum quod ὄντως, quod semper minus frequens fuit, omnino deest? — Dixerit aliquis idem obici posse meae de Lysidis tempore conclusioni. Sed praeterquam quod in Lyside alia accedunt (praeter unum

τί μήν; duo ἀλλὰ τί μήν; affirmative posita, et alia ἀλλὰ-μήν et ἀληθῆ saepius usurpatum quam ἀληθῆ λέγεις), τί μήν; quod in Lyside primum invenitur, in ceteris libris, ubi occurrit, statim valde frequens est; unde iure nostro concludimus novum affirmationis genus quod in Lyside usurpare coepit statim Platoni placuisse et cum ardore quodam ut assensionum copiam exquisitiore formula variaret arreptum esse.

Schanzium si sequimur non solum Phaedrus et Theaetetus, sed etiam Cratylus et Euthydemus post quattuor primos Rei publicae libros prodiisse censendi sunt, quod quantopere cum reliqua sermonis consuetudine pugnet ex hac mea dissertatione intelligitur. Nam ut cetera taceam, multo minus credibile est τί μήν; cum in Phaedro et Rei publicae libris II—IV tam frequens fuisset, evanuisse in Cratylo et Euthydemo deinde in libris V sq. denuo frequentem in usum venisse et ad ultimam Platonis senectutem mansisse, quam ὄντως, quod ego statuo, cum in Euthydemo semel, deinde post complures annos in Cratylo semel a Platone esset usurpatum, inde a quarto Rei publicae libro quasi revixisse et magis magisque Platoni in consuetudinem venisse, donec postremo ad eam frequentiam procederet, quae est in Sophista, Politico, Philebo, Legibus. Talia enim saepe facta esse ex tabulis meis elucet. Hac igitur in re a Schanzio dissentio, ea re optime de hac quaestione eum meruisse iudico quod pugnam diversarum locutionum idem fere significantium observandam esse vidit.

Quid autem fiet de pulcherrimo Spengelii invento, quod ad Platonis et Isocratis inimicitias pertinet? Nonne hoc omnes qui Platoni studemus in certissimis duximus, Euthydemum post Phaedrum prodiisse, quia in Phaedro Isocrati etiam favere Plato videtur, quem acerrime impugnat in Euthydemo? Nunc autem sermonis observatio et numerorum malignitas non minus manifesto ad primam aetatem relegat Euthydemum quam Phaedrum ad mediam.

Quid vero si Platonem acerbitatis illius provectiore aetate paenituit, qua iuvenis in Isocratem invectus erat? Quid si convicia quibus ab Antisthene, acerrimo Platonis adversario, iterum iterumque Isocrates petebatur, Platonem moverunt, ut Isocrati patronus exsisteret? Verum est amicitiam quae nomen mereretur nunquam potuisse inter tam diversos exsistere neque adulescentes neque viros, Platonis autem haec fuit animi sententia: πάντα γὰρ ἄνδρα χρὴ ἀγαπᾶν, ὅστις καὶ ὁτιοῦν λέγει ἐχόμενον φρονήσεως πρᾶγμα καὶ ἀνδρείως ἐπεξιὼν διαπονεῖται. Sed nolo nunc paucis perstringere quae accuratam postulant inquisitionem. Tantum volui dicere, ex iis potius quae de temporibus Euthydemi et Phaedri nunc certo scimus Platonis et Isocratis simultatem esse depingendam, quam propter incertas de illa opiniones certam temporum rationem abiciendam.